

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 7. v. 15 -- 23.

EXORDIUM.

Cum Israëlita è captivitate Babylonica reduces collapsam Hierosolymam cum templo ædificare inciperent, vicini Ethnici congregati sunt ut irritam facerent structuram. Verùm Nehemias excubias egit, & ordinavit, ut alterâ manu opus facerent, & alterâ tenerent telum, Nehem. 4. v. 7. 17.

Hanc historiam *sensu mystico* interpretabimur.

Omnes veri Christiani spirituales Israëlita vocari possunt. Non enim omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israëlita, neque qui semen sunt Abraham, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen, i. e. non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, & stimantur in semine, Rom. 9. v. 7. 8.

Quemadmodum igitur Israëlita alterâ manu telum tenere cogebantur, ne hostes vicini impetum facerent, alterâ verò manu opus faciebant: Ita & Christianismus noster in duobus versatur: ut oderimus malum & adhæreamus bono, Rom. 12. v. 9. h. e. adversus Diabolum, mundum & carnem nostram strenuè pugnare tenemur, qui nobis varia impedimenta objicientes, viam ad cælum intercludere satagunt: ex adverso verò temperanter, justè & piè vivamus in hoc seculo, Tit. 2. v. 11. id vocat Apostolus bonam militarem militiam, habere fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19.

Præprimis quia Diabolus hâc ultima ætate magnam habet iram, Apoc. 12. v. 12. ablegando Pseudo-Prophetas magno numero, in quorum ore Spiritus mendax futurus est, 1. Reg. 22. v. 22. efficacibus erroribus seducturus eos, qui à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, 2. Tim. 4. v. 4. Nostrum sanè erit gladiis spiritualibus instructos esse, quibus falsis Prophetis non modò resistamus, qui nil nisi fel Draconum eruant, Deut. 32. v. 33. sed & omnem naveamus operam, ut nos superædificemus sanctissimæ fidei, in Spiritu sancto, Jud. 5. v. 20. tum & in omni opere bono fructificemus, Col. 1. v. 10. quò alii id videant, glorificantes Patrem, qui in cœlis est, Matth. 5. v. 16.

Eò quoque spectat admonitio Christi in prælecta Pericope, ubi non saltem ratione Pseudo-Prophetarum præmonemur, sed & ad vitam juxta voluntatem Dei componendam, stimulamur, si in Regnum cœlorum pervenire velimus.

Nos sine prolixiori præloquio videbimus:

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

JJ.

Exegesis.

Cum Johannes Fridericus Dux Saxoniae, A. C. 1534. templum ornatissimum

num in S. Annæ monte lustraret, illo ipso tempore, cum Monachus quidam concionem vilem ex suggestu haberet, dixit ille: Aviarium quidem bonum est, at avis malè cantillat. Hoc ipso innuens, non convenire, Monachum ejusmodi rudem è formoso ejusmodi suggestu verba facere.

Scribæ & Pharisæi super cathedram Moïsis sederunt, ut Servator ait, Matth. 23. v. 2. Verùm legem Dei adeò depravarant, ut non immeritò illis objecisses: Cavea quidem bona est, ad avis insævam reddit sonum; Cæci enim erant, & cæcòrum Duces; cæcus autem si cæcò ducatur præter, ambo in foveam cadunt, Matth. 15. v. 14. Hoc & de aliis hæreticis & Pseudo-Prophetis, intelligendum, quos ex hâc ipsa causa fugiendos esse, monet Christus in prælecto Evangelio.

Querela respicit

I. Pseudo-Prophetarum multitudinem. Hic audimus, Servatorem non loqui in singulari de uno atque altero, sed in plurali, de multis Pseudo-Prophetis, qui cavendi sint. Nam oportet hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, 1. Cor. 11. v. 19. Zizania hæc in hâc fece mundi adeò invaluerunt, ut omnes angulos iis repletos videas. Unus dicit, hic est Christus, alter, ibi est, Matth. 24. v. 23. Hoc ipso homines turbant, ut quid credant, nesciant: maximè ubi in vestimentis ovium veniunt, successionem suam prætendentes, sive magnos titulos ostentantes, ubi hodiernus Papismus viva idea est. Supremum etenim locum obtinet Pontifex Maximus, qui se caput Ecclesiæ, universalem Pastorem, Vicarium Christi, & Petri Successorem profitetur, necrefra-

gratur, si Patrem beatissimum, Patrem sanctissimum eum appelles. Sequuntur Cardinales, qui Principes mundi vocantur. Sic & Jesuitæ sive nomen sibi arrogant, dum se socios Jesu, & Doctores Seraphicos nominant, quasi claves scientiæ habeant, Luc. 11. v. 52.

His adhærent aliquot centum Episcopi, aliquot mille Prælati, & innumerabiles Monachi, in cæteros Ordines distincti, quod illustrem speciem coràm mundo habet. Verùm pii Christiani hoc ipso minus offendantur. Vera Ecclesia est, pusillus grex, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Zeph. 3. v. 12. & Regnum Christi non venit cum observatione, Luc. 17. v. 20.

Quando spinæ & cardui florent, valdè speciosi videntur, ut ignari facillè fallerent, & in admirationem raperent. Eodem modo comparatum est, cum ejusmodi Pseudo-Prophetis, qui verba sua ad ostentationem componere norunt, & adhibent varias *εὐλογίας καὶ ἁγιολογίας*, Rom. 16. v. 18. ut eos sanctissimos censeas: Verùm ubi illis ad sociaveris te, vix illæsus abibis. Intrinsicus enim lupi rapaces sunt, & quod mendaciis efficere nequeunt, cædibus machinantur, quærentes jus suum in armis, quibus sibi resistentes oppugnant. Hoc ita à patre suo Diabolo didicerunt, qui non modò mendax: sed & homicida est, ab initio, Joh. 8. v. 44.

Primogenitus ejus discipulus fuit Cain, innocentem fratrem Abelem trucidans, Gen. 4. v. 9. Quem secutus Esau, in occursum fratris Jacobi properans, cum quadringentis viris armatis, Genes. 32. v. 7.

NIT.

hic ultim
poc. 12. v. 12
magno no
mendax fu
cibus erro
venitate qui
obolis autem
Nostrum
is instructio
non modo re
tucorum et
nomen non
fictum fuit
sed v. 18.
fictio est,
ant, glori
Mali;

nitio Cæci
saltem tuc
ramonem
em De quo
Regnum co
quo vide

us Dicitur
lum etiam
m

Hodierno die Machometes acinacem suam stringit, eoque Alcoranum suum propagat. Anti-Christus Francisci laqueis & S. Antonii igne rem gerit, & excommunicatione atq; inquisitione sua omnes perimit, qui pedes ejus osculari refragantur. Hinc Baronius olim dixit: Pontificem gerere duo officia, quorum alterum: Petre pascere oves meas! alterum: Macta & ede, utrumque ipsi dictum esse, Joh. 20. v. 17. Act. 10. v. 13.

Hinc apparet, quid tibi de illis polliceri possis. Nempè idem quod ovis de lupo. Sicut igitur Christus Phariseis se non credidit, quod ipse nosset omnes, Joh. 2. v. 23. Sic quidem tibi multi sint pacifici, consiliarius autem unus sit tantum de mille, Sir. 6. v. 6. Nunquam enim adhæret Deo sedes iniquitatis, qui fingit laborem super præceptum, Psal. 94. v. 20.

II. *Hypocritarum turpitudinem.* Quod enim de Pseudo-Prophetis dicitur, quod in vestimentis ovium veniant, intrinsecus autem sint lupi rapaces: id in genere omnibus hypocritis applicari potest, qui ore dicunt: Domine, Domine, sed cor lævum est, ut vitam ad Dei voluntatem non componant.

Hoc ovium vestimentum occurrit

1. *In Politicis*, ubi unus atque alter mansuetudinem ovium simulat, re ipsa verò lupo est rapax! Ore dicit: Domine, Domine. verum in corde sentit: Apage! Hoc hodie in peculiari arte ponitur, in quâ qui minus exercitus est, pro incivili & stolido habetur, ut in Michâ videre est, quem Achab oderat, quia ipsi verum prophetabat, Pseudo-Propheta vero numero quadringenti, magni æstimabantur, quia ipsum

blanditiis lætabant, 1. Reg. 22. v. 8. seqq.

2. *In Ecclesiasticis*, quæ religionem atque fidem concernunt. Ubi multi occurrunt hypocrita, qui audiunt sermones Dei, sed non faciunt eos: & avaritiam suam sequitur cor eorum, Ezech. 33. v. 31. existimantes, verum Christianismum consistere tantum in externis ceremoniis, si templum frequentes, concionem audias, sacrâ synaxi utaris, precationem matutinam & vespertinam recites &c. Nucleum verò Christianismi non attendunt, ut veram pietatem amplectantur, carnem crucifigant, Christo per fidem uniantur, misericordiam proximo exhibeant, de peccatis doleant, vitam emendent &c. & quæ plura ad Christiani hominis officium requiruntur, & sub nomine fidei & dilectionis comprehenduntur. Sine his enim Deo placere non possumus, Deus siquidem cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 7. agnoscitque omnem operam hominis, Sir. 15. v. 20. Hoc attendamus ante omnia, & servientes Deo videamus, ne simus hypocrita: in conspectu hominum, Sir. 1. v. 37.

III. *Beatorum raritudinem.* Hic Christum audimus dicere: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Quod in sequentibus pluribus exaggeratur, quando dicitur: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo damonia ejecimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Hinc colligere est, quanta electorum caritas die extremo futura sit. Mundus enim

enim plenus est hypocritarum, qui virtutes in Christi nomine factas jactitant. Verùm quia gloriam hominum magis diligunt, quàm gloriam Dei, Joh. 12. v. 43. parum inde emolumentum capient, oculi enim Domini respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. nec veniet in conspectum ejus hypocrita, Job. 13. v. 17. Hæredes autem salutis sunt

1. *Soli credentes.* Joh. 3. v. 16. Marc. 16. v. 16. Fides manus est, sine quâ donum aliquod accipere non possumus: Sic nec sine fide vitam æternam, quæ donum Dei est, Rom. 6. v. 23.

Fides scala est. Sine scalâ arborem conscendere nequis: sic nec sine fide perveniet in vitam æternam. Nemo venit ad Patrem, nisi per me, ait Servator, Joh. 14. v. 6.

Fides lampas est. Sicut igitur virgines fatuæ, quæ lampades suas non ornaverant, non poterant cum sponso ad nuptias intrare, Matth. 25. v. 12. Sic nec sine fide ullam salutis spem habemus. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. 36.

2. *Omnes credentes.* Non enim Deus delictum observat gentis, sexus, ætatis & conditionis: sed quicumque credit, sive sit mas seu fœmina, senex vel juvenis, dives vel pauper, magnus vel parvus hæres erit salutis. Act. 10. v. 34. Gal. 3. v. 28.

3. *Tantum verè credentes.* Hi verò illi sunt, qui voluntatem Dei pro virili faciunt, Matth. 7. v. 21. & ita fidem operibus probant, sine quibus illa mortua est, Jac. 2. v. 17. præterea non tanquam ad rem peregrinam obstupescunt propter æstum, quasi novi quid illis contingat, 1. Petr. 4. v. 12. sed strenuè currunt in stadio pietatis, dum bravium accipiant, 1. Cor. 9. v. 25.

Sicut enim miles fugitivus parum gloriæ reportat, & prehensus, capite luere cogitur: Sic & illi indigni sunt Regno cælorum, qui ad tempus credunt, tempore autem tentationis deficiunt, Luc. 8. v. 13. Luc. 9. v. ult.

Quando proindè paucitatem Orthodoxorum inspiciamus, & contrà multitudinem eorum, qui Christum non agnoscunt, vel licet agnoscant, ad regulam Christi vitam non componunt, conclusio hæc erit: Multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. 22. v. 14.

Universus mundus dividitur in Africam, Asiam, Americam & Europam. Tres priores partes salute excidunt, utpote, quæ è Turcis, paganis, aliisque infidelibus constant. Quarta quoque non pura est, sed hæreticis & hypocritis repleta. Videte igitur, Vos mei! ut in Orthodoxorum numero inveniamini. Deus vineæ suæ facit, quæ debet, Esa. 5. v. 4. finitque prædicari verbum, & Sacramenta dispensari, Beatus, qui illis rectè utitur! sed pauci talium occurrunt!

Si possibile foret, ut homo ad portam inferni staret, & videret, quanta frequentia damnati ad infernum properarent, procul dubio tantæ multitudinis eum admiratio caperet: Ex adverso verò, si unum saltem diem ad portam cæli staret, animas electorum facile numerari posse, perspecturus esset.

Quicumque jam congregati sumus in æde Domini, Christianos nos profiteremur. Sed Deus tanquam *καρδίας ἡμετέρας* scit, quid in homine sit, Joh. 2. v. ult. die extremo manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

Ibi videbimus, quod ex millibus vix centū, & ex centum vix decem salvabuntur. Nam justus vix salvabitur: impius & peccator ubi parebunt? 1. Petr. 4. v. 18. Contendite igitur intrare per angustam portam, quia multi quærent intrare, & non poterunt, Luc. 13. v. 24.

De Secundo.

Sequitur Triplex Medela, quæ fluit
I. Ex *fidei Christi consilio*, quo Pseudo-Prophetas cavere monemur, Amicus enim præmonet amicum, ut Jonathan Davidem, 1. Sam. 20. v. 35. Quidni ergo Jesus amicus noster esset, quia nos ad eum fideliter ratione falsorum Prophetarum præmonet, ne ab iisdem seducamur.

Sicut igitur Alexander M. pro insigni amicitia reputavit, ubi à Præceptore suo Aristotele admonitus fuit de virgine veneno infecta, quæ ex India ei missa est cavenda: Ita multò magis grato animo agnoscamus, & Christum sequamur, qui unicus noster Præceptor est, Matth. 23. v. 8. quando nos à Pseudo-Prophetis cavere jubet, qui exterius sanctitatem simulant: sed venenum aspidem sub labiis eorum, Ps. 140. v. 3. quò non modò corpus sed & animam occidant, & secum in puteum trahant, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11.

Sedulò igitur cavete hoc attendite, Vos mei! Jesus noster optimè nobis vult, nolens, quenquam petire, 2. Petr. 3. v. 9. Sed ut frater noster est, sic instar fratris diligit nos à principio usque ad finem, Joh. 13. v. 1. Beatus, qui admonitioni locum relinquit, & firmiter adhærescit verbo Dei, quod infallibilis veritas, quæ sapientiam præstat

parvulis, Psal. 19. v. 9. & quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, Gal. 6. v. 16.

II. Ex *triplici hæreticorum indicio*. Quia enim in vestimentis ovium veniunt, quò palpum hominibus obrudant, sicut & pater eorum Diabolus in Angelum lucis se quandoque transformat, 2. Cor. 11. v. 14. Optimus Servator noster tres notas indicat, ne decipiamur, sed probemus Spiritus, an ex Deo sint, 1. Joh. 4. v. 1. Familiaris enim ipsis est

1. *Scriptura depravatio*. Hanc ob causam Christus eos vocat Pseudo-Prophetas, qui non acquiescunt sanis sermonibus, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. sed detorquent Scripturas, vel etiam abjiciunt propter traditiones suas, Matth. 15. v. 3. hinc vocantur Magistri mendaciorum, 2. Petr. 2. v. 1.

2. *Spontanea insinuatio*. Veniunt enim proprio instinctu, non missi vel vocati, ut Deus queritur, Jer. 23. v. 21. unde colligendum, quod non multum emolumentum adferant. Genuinus enim verbi Præco, non sibi ipsi honorem sumit, sed vocationem suam expectat, sicut & Aaron, Hebr. 5. v. 6. Vocatio facit concionatorem, ait Lutherus noster, qui sine vocatione docet, non sine detrimento docet, & sui ipsius, & auditorum. Sui ipsius quidem, quia in adversis non potest honorare animam suam, Sir. 10. v. 31. Auditorum verò, quia Deus labori non vocatorum non benedicit. Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Rom. 10. v. 14. 15.

3. *Fructus adulterini specificatio*. Doctrina quippè eorum pungit & lauciat, instar spinarum & tribulorum, ut ex ratione & plantatione